

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

id, quod Divinae literae virtute saltem & potestate complectuntur. Eiusdem enim valoris esse, quae litera Scripturae & sensus per liquidissimas consequentias elicitus, enunciant, ex inductione plurimorum fidei articulorum & praxi Christi atque Apostolorum evidenter constat. Origenes ad locum illum; *nescitis Scripturas*, annotat: *Sufficit ad arguendum errorem Sadducæorum, quod nesciebant Mosaica legis Scripturas, ex eo, quod divinum sensum earum, (quem Scholastici revelationem virtualement vocant) non scrutabantur.* Tract. XXII. in Matth. p. 110.

XXXVI. Secundò, alii peccati labe infectos esse damnatos, sed habituali tantum, cuiusmodi Augustinus malam voluntatem vocat, non actuali censent. Sententiam horum luculenter expressit Bonaventura. Arbitrantur enim poenarum atrocitate fieri, ne in actum erumpere vitiosum peccandi desiderium possit. Secundum hos neque murmurare damnati adversus DEUM, neque blasphemare iustitiam eius valebunt, sed poenarum vinculis conficti neque explicare in sceleratos actus membra sua poterunt, neque volent etiam, ob vim cruciatuum perpetuo duraturam.

XXXVII. Tertiò: Sunt, qui ne habituale peccatum quidem in damnatis esse statuunt. Omnium clarissime, quantum mihi constat, hoc ex Sanfordo asserit Robertus Parkerus: *At peccare, iniquies, damnati possunt, etsi agere non possunt, habitu nimirum & voluntate, etsi in actum prorumpere ille habitus nequeat. Negare videtur Bonaventura, voluntatem in damnatis peccandi ullam esse.* Id quod & S. Literarum & Doctorum Ecclesiasticorum auctoritate probare annititur. Quae de re suo loco iudicabimus.

XXXIIX. Quartò: In alterum extremum præcipientes labuntur alii, qui nefanda scelera & flagitia, velut odium Dei, blasphemiam, invidiam, impatientiam, cæteraque ejus generis, damnatis non attribuunt duntaxat, sed argumentis propugnant; nihilominus tamen veri generis peccata hæc talia in damnatis esse negant. Albertus Magnus dist. L. lib. IV. art. I. probat, *damnatos homines vel animas non peccare in inferno*; Art. II. idem de dæmonibus profitetur: & tamen art. VI. rationibus disputat, *quod damnati & dæmones odiant DEUM, non quidem, quatenus DEUS absolute consideratur, sed tamen, quæ consideratur pro iustitiâ, judicante pro meritis.* Videri posset hæc